



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P.Fr. Lvdovici Granatensis Ordinis S. Dominici SS.
Theologiæ Professoris Opera**

In tres tomos distributa

Opvscvla Spiritvalia Continens, in quibus peccatores à semita vitiorum &
perditionis, ad regiam virtutum, perfectionis, ac salutis æternæ viam,
perducuntur

Luis <de Granada>

Coloniae Agrippinae, 1626

Pars Sexta. De Deuotione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79597)

Documentum sextum.

*Servus Dei
modice con-
solationibus
contentus ef-
se non debet.*

Simile.

*Quantum
temporis ad
meditationem
assumendum
sit.*

Documentum hoc non multum à superiori di-
crepat, quod tamè aequè necessarium est. Ta-
le autem est, servum Dei contentum esse neu-
tquam debere, quocunque modico sensibili gustu,
ex meditatione percepto, quemadmodum nonnulli
faciunt, qui cum aridam aliquam lachrymulâ pro-
fuderint, aut parvam cordis liquefactionem sense-
rint, exercitij finem siue scopum, se adeptos esse ar-
bitrantur. Quod tamen ad eum scopum quem pro-
positum habemus minimè sufficit. Vt enim satis nō
est ad terræ fructificationem si pertenui aliquo im-
bre qui pulverem tantummodo coagmentet, & ter-
ram superficie tenus imbuat, profundatur, sed opus
est ad hoc copiosis imbribus, quæ intima terræ pene-
trenc illiusque situm expleant, quo fructum opta-
tum reddere queat: sic necessaria est aquarum cœle-
stium abundantia, vt quis bonorum operum fru-
ctum ex se producat.

Quapropter non immeritò à viris spiritualium
rerum callentissimis monemur, vt ad sanctam hanc
exercitationem, quisque tantum temporis, quan-
tum potest conferat: & cerre vtilius fuerit semel sa-
tis longum temporis spatium ad illam assumpsisse,
quam idem per intervalla fecisse. Etenim dum tem-
pus breue est, totum ferè in phantasia vel imagina-
tionis quietatione & cordis collectione consumitur:
ac sæpè fit vt cum iam fructus præteritæ molestiæ
carpendi essent, meditatio abruptatur.

Ad huius verò temporis quantitatem præfimen-
dam quod attinet: Mihi videtur quicquid tesqui
hora vel duabus horis minus est, nimis exiguum ef-
se ad meditationem instituendam, eò quod non ra-
rò integra ferè hora in compositione cytharæ cor-
dis nostri, hoc est in phantasiæ ac cogitationum inu-
tilium repressione, & mentis à rebus sensibilibus a-
uocatione consumatur, tum verò aliquid etiam

temporis pro fructibus institutæ orationis percipi-
endis impendere necesse est.

Quamvis inficias ire nequeam, eo tempore, quā-
do meditatio post sanctam aliquam & piā actio-
nem instituitur, magis aptum & dispositum esse a-
nimum ad hoc agendum: atque vt arida ligna facili
flammam concipiunt, ita & cor ita dispositum faci-
lius igne cœlesti succendi. Matutinis etiam horis,
quod tempus huic exercitio vel maximè commo-
dum & oportunum est mentem à phantasmatibus
liberorem esse, ac proinde tum orationi liberalius
incumbendum. Qui verò negotiorum & occupa-
tionum multitudine adeò destinentur, vt tantum
temporis ad hoc conferre non possint: hi nihilomi-
nus minutum suum cum paupere vidua. Euangeli-
ca offerre Deo non negligant. Etenim si negligentia
vitiū non obliterit, ille qui omnibus creaturis iuxta
singulorum necessitatem providet, ipsis etiam libe-
ralissimè prospiciet.

Documentum septimum.

Precedenti documento aliud simile dari solet.
Est autem eiusmodi: Pietatis studiosum, cum
diuinis consolationibus specialiter, cum
vel extra orationem visitatur, occasionem hanc ar-
ripere debere, nec pati omnino vt tempus hoc si-
ne fructu sibi præterlabatur. Nam tranquillo hoc
vento flante plus itineris vna hora conficiet, quam
alias multis diebus. Sic faciebat S. Pater noster Do-
minicus, qui tam sollicitam diuinarum visitationum
curam habebat, vt etiam in itinere constitutus, si
speciali aliqua visitatione à Deo recrearetur, locis
præcedere iussis, ipse solus subsisteret, aut tardius
progrediretur, quo adisque suauem illam buccel-
lam de cœlo sibi allatam digessisset. Quibus curæ
non est ita diuinis visitationibus satisfacere, hi ea fe-
rè pena castigantur, vt Deum postea cum quæsi-
runt minimè reperiant.



P A R S S E X T A

DE DEVOTIONE.

QVID SIT DEVOTIO.

CAPVT I.

INTER omnes molestias & difficulta-
tes, quas illi qui orationum ac medi-
tationum exercitia frequentant, susti-
nent, nescio an vlla maior sit ea quam
patiuntur ex deuotionis quem sæpè in
ea percipiunt, defectu. Hæc enim si adfuerit, nihil
suauius, nihil iucundius, nihil facilius, quam preci-
bus ac meditationibus insistere: eadem si absit, nihil
molestius.

Quapropter cum iam de oratione ac meditatio-
ne ac methodo eā instituendi egerimus, non abs re
fuerit nunc de his quæ deuotionem partim promo-
uent & excitant, partim præpediunt & extinguunt,
tum etiam de tentationibus, quæ vt plurimum pijs
hominibus in talibus exercitijs se obiciunt, agere, ac
deniq; documenta quæ ad idem institutū non parum
cōferant subijcere: itaq; ab ipsa deuotionis definitio-
ne auspicabimur, vt manifestè liqueat, qualis & quā-
ta sit margarita pro cuius adeptione, militamus.

Deuotio vt D. Thomas ait, est virtus, hominem
expeditum & promptum ad omnia virtutum offi-
cia reddens, illūq; ad bene agendū excitans. Quæ
definitio euidenter satis ostendit necessitatem & v-
tilitatem huius virtutis, vt pote quæ plura in se con-

tineat quam quis mente complecti possit. Pro cuius
planiori intelligentia sciendum est, præcipuum im-
pedimentum quod nobis in vita rectæ ac piæ institue-
nda obijcit, esse naturæ humanæ corruptione à pec-
cato profectam, à qua maxima ad vitium inclinatio
& ingens bene operandi difficultas exsistit, quæ no-
bis grauem & permolestam virtutis viam facit,
quamvis virtute, si ea in se consideretur, in mundo
nihil suauius, nihil amabilius, nihil pulchrius extet.

Ad hanc difficultatem superandam providit no-
bis diuina sapientia de conuenientissimis remedijs,
nimirū deuotionis virtute, atq; auxilio: Nā quæ ad-
modū ventus Boreas nubes dissipat, aerisq; serenita-
tē restituit, non aliter vera deuotio ab animo no-
stro molestiā omnem & difficultatē huius vitæ ab-
scindit, nosq; ad piæ & præclaras actiones obeundas
promptos atq; alacres reddit. Hæc autem virtus ita
virtutis nomē obtinet, vt etiā pariter sit speciale do-
nū Spiritus S. ros cœlestis, auxiliū & visitatio diuina
per orationem obtemperans: cuius proprium est difficul-
tatem in oratione ac meditatione occurrentem sub-
mouere, tepiditatem pellere, alacritatem in diuinis
obsequijs conferre, intellectum instruere, voluntate
tem roborare, diuinum amorem in corde succen-
dere,

*Deuotio
quid.
S. Th. 2. 2.
q. 28. a. 2.*

Simile.

*Deuotio
laude & offi-
cia.*

de re, flammis illicitarum cupiditatum restinguere, saltidum humanarum rerum, atque odium peccati ingenerare, atque ei quem possiderit ac repleuerit nouum feruorem, nouum spiritum, nouum animum, ac noua desideria bene agendi infundere. Etenim sicut Sampson capillis longis praeclatus fortitudine omnes mortales anteibat, eisdem verò spoliatus vires amittebat, atque alijs hominibus imbecillitate similis erat: Sic anima cuiuslibet Christiani, hac deuotione adiuta & recreata, fortis & robusta est: eadem verò priuata debilis & infirma. Praestantissima verò laudum earum quae in hanc virtutem congeri possunt haec est, quod cum sit vnica, omnium tamen ceterarum virtutum stimulus sit: ac proinde qui virtutum semitam expedire perambulare cupit, hanc sibi pro calcaribus asciscat: nam sine illa rebelles & petulans animal suum regere nequit.

Ex his quae diximus liquido constat, in quo vera & essentialis deuotionis essentia constituta sit: non enim in cordis teneritudine aut consolationum affluentia, qua illi qui meditationi operam dant sapè reficiuntur, ponenda est, nisi ea fuerit coniuncta cum quadam promptitudine & alacritate animi ad omnia bona opera: praefertim cum non raro vsuepiat, vt vnum sine altero reperiat, Deo sic ad probationem seruorum suorum disponente. Quamuis inficiari nequeam has consolationes à deuotione atque animi promptitudine ad pias & praeclaras actiones obeundas frequenter proficisci: atque è contrario per easdem consolationes ac gustus spirituales, veram deuotionem saepenumero non parum promoueri. Vnde fit, quod serui Dei licet possint desiderare ac petere consolationes, non propter delectationem quam sibi coniunctam habent, sed quia deuotionem quae nos ad bene operandum alacres reddit, generant & augent, quod de se Propheta Regius testatur cum ait: *Viam mandatorum tuorum curru, cum dilatasti cor meum*, hoc est, quando illud consolationum tuarum quae huius promptitudinis causa extiterunt, dulcedine recreasti.

Nunc de medijs quibus haec deuotionis virtus acquiri possit agamus, quae tractatio non paruam utilitatem adferet, cum enim virtus haec omnium aliarum virtutum stimulus sit, media per quae illa comparari possit tradere, nihil aliud est quam media per quae ceterae virtutes omnes conquiri possint praeficere.

Novem media sine adiumento per quae virtus deuotionis facilius acquiri possit.

EA quae deuotionem promouent plurima sunt, ex quibus nos pauca tantummodo delibabimus. Primò deuotionem vehementer adiuvat: si exercitia haec animo magnanimo, & deliberato atque parato ad omnia quae ad pretiosam hanc margaritam consequendam pertinent, quantumuis ardua & difficilia sint, exequenda & sustinenda suscipiantur: Nam euident & clarum est, nihil praeclarum esse, quod non etiam difficile sit, cuius generis, & ipsa deuotio est, maxime in principijs.

2. Deuotionem maxime promouet, cordis ab omni vana & inutili cogitatione, ab affectibus & amoribus peregrinis, a turbulentis & concitatis motibus, diligens custodia: perspicuum enim est, vnumquodque horum deuotioni non parum impedimento esse, cum virtus haec vel maxime possit cor quietum, & ab omni inordinata affectione liberum, nec minus quam chorda in cythara compositum.

3. Deuotioni adiumento est custodia sensuum: maxime oculorum, linguae, & aurium, quando *Granat. Opusc. spiritual.*

quidem per hoc cor potissimum distrahitur. Ea namque quae per oculos & aures ingrediuntur, mentem varijs imaginibus depingunt, quae deinde pacem & tranquillitatem animae disturbant, & euertunt. Quare non immerito quidam aiunt contemplationis studiosum, surdum, caecum & mutum esse debere. Nam quò minus in ea quae foris sunt euagatus fuerit: eò intrinsecus maiori tranquillitate ac recollectione gaudebit.

4. Deuotionem non mediocriter adiuvat solitudo. Solitudo, liquidem non modò peccandi occasiones submouet, & causas, ob quas potissimum cor & sensus distrahantur tollit, sed etiam hominem solitarium vehementer excitat vt animum ab omnibus rebus sensibilibus auocet, secum habet, cum Deo incessanter conuersetur, ad quod loci opportunitas illum admonet, quae nullam aliam societatem praeter hanc admittit.

5. Deuotionem non mediocriter nutrit lectio librorum piorum & spiritualium, eò quod materiam considerationi subministrat, mentem à rebus creatis abstrahat, deuotionem excitet, & efficiat, vt libenter illis considerandis inhareat quae in lectione suauiter gustantur, nam ea quibus cor abundat sapientius homini ad memoriam redeunt.

6. Deuotionem fouet continua Dei memoria, & assidua praesentiae diuinæ cogitatio, cum frequenti vsu breuium superiorum, quas D. Augustinus orationes iaculatorias nuncupat. Nam haec domum mentis custodiunt, & deuotionis calorem conseruant: quo fit vt semper ad pia opera & Deum precandum expeditus & alacer sit. Est autem documentum hoc vnum ex praecipuis spiritualis vitae instrumentis & causis, ac solum fere ac vnicum remedium ijs, qui neque locum neque tempus habent, quod orationibus ac meditationibus longioribus impendant. Et verò qui ad hoc laboris aliquid contulerint atque crebris aspirationibus operam dederint, exiguo tempore magnum profectum facient.

7. Deuotionem promouet perseverantia in bonis exercitijs: Vt videlicet tempora & loca statuta sint quae aequaliter seruentur, maxime tempus nocturnum, & matutinum, quae ad orationem institutam non parum conducere, sacrae literae vniuersim testantur.

8. Deuotioni auxilio sunt austeritates, & abstinentiae corporales: abstinentia à cibis, mensa frugalis, lectus durior, cilicium, flagella, & alia similia: quandoquidem vt à mentis deuotione originem habent: ita non leuiter incitantur, conseruant, fouent atque nutriunt radicem è qua nata sunt, quae est deuotio.

9. Ad deuotionem plurimum conferunt, opera misericordiae, quia haec fiduciam coram Deo appendunt, & diuino conspectui assistenti, nobis augent, orationes nostras comitantur, faciuntq; ne preces aridae appellari possint: ac denique promerentur vt preces nostrae facilius à Deo suscipiantur: quoniam è corde pio ac misericordi prodeunt.

NOVEM DEVOTIONIS IMPEDIMENTA.

CAPVT III.

QVemadmodum ea quae deuotionem promouent, nouenario numero comprehendimus, ita etiam illa quae nos ab huius virtutis possessione repellunt atque impedimento sunt, eodem numero definiemus.

Primum itaque deuotionis impedimentum est: Peccata non solum mortifera, sed etiam leuia & venialia. haec enim quantumvis charitatem prorsus non

tollant, eius tamen feruorem qui cum deuotione ferè coincidit, debilitant & extinguunt. Quapropter omni studio deuitanda sunt, sin minus propter mala quæ secum adferunt; vt minimum propter bona quæ impediunt.

Consuetudo remorsus.

Secundum est, Remorsus conscientie, ab ipsis peccatis procedens: maxime quando nimis est, quia mentem inquietat, capitis vires atterit, & hominem ad bonas actiones ineptum atque inutilem reddit.

Tertium est, Amaritudo siue angustia cordis, & mæror inordinatus, quandoquidem cum his non facile consistere & concordare possunt, voluptas & suauitas bonæ conscientie, & spirituale interna mentis gaudium.

Sollicitudines nimia Exod. 5.

Quartum est, Nimia sollicitudines, quæ ad instar præfectorum Aegyptiorum, qui filios Israel immodicis laboribus premebant, animum inquietant, nec patiuntur vt somnum spiritualem qui ex orationis frequenti vsu & gustu prouenit, capiat: imo tunc plus quam alias eam turbant, & à coeptis exercitijs longius abducunt.

Occupationum multitudo.

Quintum, Occupationum siue negotiorum multitudo, quæ tempus omne tollunt, spiritum suffocant, neque homini vllam vel temporis vel quietis partem, qua Deo vacare possit, impertiuntur.

Solatia sensuum.

Sextum, Voluptates & solatia sensuum: Hæc namque insipidas reddunt exercitationes spirituales, hominemque indignum faciunt qui diuinis consolationibus reficiatur: vt enim D. Bernardus ait:

Dignus non est Spiritus sancti visitationibus, qui mundana solatia sectatur.

Septimum, Delectatio inordinata in manducando & bibendo: longa & sumptuosa cœna, quæ hominem inutilem faciunt ad sacras vigilas & spiritualia exercitia. Etenim corpore multis escis gravato & immodicè repleto, spiritus minus libere in sublimem ferri atque leuari potest.

Octauum est, Curiositas cum sensuum tum intellectus, cuiusmodi est, velle audire, videre ac scire nouos rumores, quia hæc tempus pretiosissimum auferunt, animum perturbant eiusque tranquillitatem evertunt, ac mentem in multa dispergunt, siue deuotioni plurima impedimenta obijciunt.

Nonum est, levis solitorum exercitiorum intermissio, præterquam cum omittuntur aut differuntur ob causam aliquam piam & iustam necessitatem, quia valde delicatus est spiritus deuotionis, qui cum semel recesserit, non reuertitur, aut certe magna cum difficultate.

Quare quemadmodum arbores suis temporibus irrigari opus habent, quæ si diutius quam par est differatur, statim arescunt & pereunt: sic etiam deuotio nisi continuo aquis piarum meditationum irrigetur, facile perit.

Hæc breuiter & summam tantummodo perstrinximus, vt facilis memoria retineri possent: quorum vberiori explicatio ipso vsu atque experientia haberi poterit.

PARS SEPTIMA DE TENTATIONIBVS

VVLGATIONIBVS.

QVIBVS MEDITATIONVM STDIO
diost vt plurimum molestari solent.

NEC NON REMEDIIS EORVM.

CAPVT I.



VIDENDVM nunc quibus ferè tentationibus impetantur ij qui orationis & meditationis exercitia frequentant, vt de conuenientibus remedijs illis provideamus.

Tentationes illorum hæc ferè sunt.
Consolationum spiritualium absentia.
Cogitationum inutilium turba:
Cogitationes infidelitatis & blasphemie.
Diffidentia de profectu:
Nimia propria sanctitatis præsumptio.
His vt plurimum tentationibus infestantur homines viæ sectatores, de quarum remedijs deinceps tractabimus.

De prima tentatione & remedijs eius.

Solita exercitia propter consolationis defectum omittenda non sunt.

PRIMO itaque, illi cui spirituales consolationes defunt hoc remedium est: Ne propterea solita orationis exercitia quamuis insipida, & nullius utilitatis esse videantur, omittat, sed ante præsentiam Dei se constituat, atque ad eum vt reus & multorum criminum assis accedat, conscientie latebras diligenter examinet, & consideret an suam ob culpam huius gratiæ iacturam fecerit, ac Dominum plena cum fiducia roget, vt hanc ei noxam donet, atque in se inestimabiles diuitias patientiæ suæ ma-

nifestet, sustinendo & indulgendo ei, qui eum tantummodo irritare nouit, præterea nihil.

Hoc pacto fructum non paruum capiet ex ariditate sua, sumendo inde occasionem, vel profundioris humilitatis dum malitiam suam & perueritatem in peccatis cumulandis conspiciat, vel ardentioris dilectionis, dum diuinam bonitatem in ipsidem condonandis attendit. Et quamuis nullam prorsus in suis exercitijs sentiret voluptatem, non tamen idcirco ab eorum continuatione cesset, quia non est necessarium, vt sapidum & suauis gustui sit quod utile futurum est. Præsertim cum experientia sæpe comprobatum sit, eos qui in exercitijs ac meditationibus suis perseverant, easque etiam ariditatis tempore non deserunt, sed cum attentione & cura qua possunt, continuant, sæpe multis consolationibus & gaudio spirituali repletos abscedere, dum se quicquid poterant, egisse lætantur. Magna virtutis non est, posse orationem longo temporis spatio protrahere dum consolationibus diuinis quis affluit, sed quando illæ subtrahuntur eandem non deserere, ac placido animo omnem derelictionem sustinere, hoc præclaræ cuiusdam virtutis est. In hoc enim elucescit humilitas, eminens patientia, ac demum vera in bonis operibus perseverantia declaratur.

Nihil.